Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars II.
Wien, 1794 Seite 2347
Quelle:
Copyright:

et nominatim *Venetiis* 1505. II. *Preseruacio et cura postematum pestilentialium secundum intentionem magistri Johannis de Tornemira.* Medici hujus *Galli* et Academiae *Montispessulanae* Cancellarii, qui circa 1450. floruit, Scripta habes in *Bibl. Gesneri* et *Mercklini Lindenio renov.* III. Aliud confimile *Regimen*, cujus initium: *De preseruacionibus contra epidimiam primo sciendum quod consilio haly intendamus, qui dicit, Descendant habitantes a loco vbi hec contingunt* &c. IV. Rursus aliud, quod incipit: *Quoniam omnia inferiora tam elementa quam elementaria a superioribus reguntur, ut meschallac in libro attestationum attestatur* &c. Hujus autor se prodit *fol.* 139. *Idcirco ego Johannes de Burgundia alias vocatus cum barba ciuis leodien. ac artis medicine professor — qui dudum in principio huius Epidimie de caussis et natura corrupti aeris secundum Judicia astrologie tractatum feci, de quo multi habent copiam Et sic incipit: Deus deorum dominus qui simpliciter et absolute* &c. Addit: *Item alium tractatum edidi de distinctione morborum pestilentialium ab alijs morbis, qui sic incipit: Cum nimium propter instans tempus Epydimiale.* &c. Tres itaque *Johannis* hujus cum praesenti Tractatus numerantur, quorum unum modo *Gesneri Bibliotheca* memorat, *Mercklino suprac.* penitus de ipso Autore silente.

XVI. *fol.* 144. *Incipit epistola quam scripsit dominus Philippus* (de Heinsberg) *decanus maioris ecclesie Colon. qui postea factus fuit Archiepiscopus eiusdem ecclesie* (✠ 1191.) *Ex consensu tocius cleri Colonien. beate Hildegardi petens ut eum certificaret secundum quod ei deus reuelaret de futuro statu Coloniensis ecclesie.* Initium: *Philippus decanus licet indignus — Maternam pietatem vestram* &c. Extat una cum *Hildegardis* responso, quod incipit: *Qui erat et qui est, et qui uenturus est* &c. inter ejus Epistolas *Colon.* 1566. 4. p. 156.

XVII. *fol.* 150. p. 2. *Epistola Geuenonis prioris de euerbach ad filias Sancte Hildegardis.* Scripserat Coenobita hic *Benedictinus*, quem *Vischius* in *Bibl. Cisterc.* sub nomine *Giconis* perperam suis adjungit, *Pentachronon* seu Epitomen Revelationum *Hildegardis*, quam nos indicabimus *Cod.* DCXXXII. quaque Bibliothecae *Angliae*, teste *Oudino* T. III. *col.* 51. abundant. Jam occasionem epistolae hujus ab obitu Virginis exaratae ipsis *Gebenonis* verbis subjiciam: *Nuper cum essem apud vos et libellum illum* (Pentachronon) *in manibus haberemus, et de ipso colloqueremur — vna ex vobis uerba illa sancte bildegardis que loquitur in fine libri diuinorum operum uidelicet.* nullus hominum tam audax sit, nec uerbis huius scripture aliquid augendo apponat. uel minuendo auferat. ne de libro vite et de omni